




# PALAEASTRA LATINA



## SUMMARIUM

ITERUM AD PALAESTRAM. (Em. Jové.)

COMMERCII EPSTULARE.

IN DIEM VERGILII NATALEM. (M. López de Zubiría).

"HORTENSII" CICERONIS ET S. AUGUSTINUS.  
(H. Martija).

SCHOLA. (I. González).

JUPITER OTRICOLI. (Phidiacus).

INSTITUTIO PRIMARIA. (P. Philoponus).

"PRIMUS" ET DERIVATA. (L. Fanlo).

INTER SCHOLARES.

EXERCITATIONES SCHOLARES.

PER ORBEM.

RESPONSORIUM (Senex).

BIBLIOGRAPHIA: (X. M. Surribas, H. Martija).

Ordinarii atque Superiorum permisso

## Libri in Actuaria accepti

- Pagot, Ch.** «Le Latin par le joie». Paris, a l'Oeuvre des Etudes grecques et latines, 47, r. de la Tour. (25-30 cahiers.)
- Goetzer, H.** «Le Latin en poche». (dictionnaire français-latin, 733 pag. Prix 18 fr., dico., latin-français, 713 pag. Prix 18 fr.) Libr. Garnier Frères, 6 r. de Saints-Pères, Paris.
- Hofmann, R.** «Lateinische Grammatik auf sprachwissenschaftlicher Grundlage» (VIII, 250 S. M. 4'40) R. Oldenboürg Verlag-München, Glückstrasse, 8.-1929.
- Dumaine, Ch.** «Conversations Latines» Texte et traduction suivies d'un vocabulaire Français-Latin des principaux termes de la vie moderne. (XV, 415 pag.) Tralain éditeur. Paris-1930; 3 eme. édit.
- Funaioli Gino.** «Esegesi Vergiliana Antica». (Prolegomeni alla edizione del commento de Giuno Filargirio e di Tito Gallo.) Milano, Società edit.—«Vita e Pensiero» p. 509, 1930.
- Walde, A.** «Lateinisches Etymologisches Wörterbuch». 3, 4 Lieferung, Heidelberg, Carl Winters Universitätsbuchhandlung. 1931 p. 161-320.
- Sófocles.** «Antígona, Traquinias, Electra.» Texto traducción y notas por Ignacio Errandonea, S. J.—Madrid, Editorial Voluntad, S. A. 1930. p. 22.
- S. Augustinus.** «De beata vita.» (Florilegium Patristicum, fasc. XXVII,) Edidit M. Schmaus; IV-23 p., M. I. 1931.

---

## Sociis atque lectoribus

Has leges mente quisque socius retinere rogatur:

1. PALAESTRA LATINA mense octobri orditur, novemque editis fasciculis per totidem menses curriculi scholaris, mense junio clauditur.
2. Subnotatio seu consociatio sub anni scholaris exitum non retractata pro reintegrata habetur.
3. Subnotatio mense octobri semper incipiet. Qui igitur post eum mensem PALAESTRAE LATINAE subnotabitur, numeros praecedentes accipiet.
4. Qui PALAESTRAE LATINAE specimina habuit, neque post fasciculos tres acceptos reddidit—(quod nullo impendio fieri potuit)—socius jure reputabitur; ideoque ad solvendum annuae subnationis pretium tenebitur.
5. Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est:
  - 6 pessetarum in **Hispania**
  - 7 » in **America Lusitania et Philipinis**
  - 8 » in **Reliquis Civitatibus**
6. Pretium mitatur oportet per *Gyrum postalem* ad PALAESTRAE LATINAE Administratorem, quem simul per schedam certiorem facere oportebit.  
Direct. et Adm. CERVERA (Lérida) Universidad-ESPAÑA.



Annus Scholaris II. Num. 10 1931-1932 Mense Octobri, a. MCMXXXI



## MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pessetarum in Hispania, 7 in America, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España.

## ITERUM AD PALAESTRAM

Duodecim abhinc mensibus, cum hanc virium exercendarum pandebamus officinam, de exitu ejus bene vulgo ominabantur. Neque inmerito: agebatur enim de sermone Latino evehendo, quem dignissimum exquisito cultu clarissimus quisque judicat quique aliunde gentis humanissimae extitit olim anima; atque ideo ad humanitatem mirifice mentes informat, quod sit velut clavis, quae scientiae thesauros non veteres tantum sed etiam hodiernos reserare permittat.

Nunc secundum jam annum ineuntes lectoribus nuntiare possumus eum fuisse PALAESTRAE LATINAЕ exitum, quem nunquam sperremus. Novi in dies subnotatores, gratulationes undique ferventes, conscriptores cottidie politiores in rebus exponendis et evulgandis vitam commentarii nostri adeo confoverunt, ut saepe Deo laudes atque gratias efferre coacti simus.

Exemplo docuimus quantum valeat lingua Latina non tantum ad res praeteritas commendandas sed etiam ad praesentes opipare persequendas pictis tabulis, dialogis, epistulis aliquique rationibus, ad quae omnia mirum in modum se flectit antiquorum Romanorum sermo. Res praeteritas commemoravimus cottiens de bis deno Vergilii centenario sermonem habuimus, quod singulis fasciculis praestavi-

mus ut haud facile commentarium invenias qui hac de re solicitior fuerit.

Nunc autem refectis membris trium aestivarum vacationum mensibus, iterum ad Palaestram venimus in qua novis conatibus lectorum delicias agere peroptamus, idque adsequemur procul dubio, cum ad eos qui peracto anno aderant magistros, alii vel exteri ad ephebos erudiendos accedere promiserint.

Monitos autem jam ab initio lectores nostros volumus se in PALAESTRAE LATINAЕ pagellis frequentiores inventuros esse Grammaticae locos inmediate in scholis applicandos, quibus utantur Latinitatis magistri.

In exercitationibus scholaribus se movere scholares poterunt aenigmatis, ludicris interpretationibus, quas si in suis aulis adhibuerint professores maximos capient alumni fructus. In puerorum incitamentum et accipientur translationes et earum accuratiores in publicum edentur.

.His qui res hodiernas latine explicatas conquerunt minime deerimus, neque iis quidem qui conloquiis puerorum oblectantur. Nuntia omnia quae per orbem agitabuntur de negotio nostro curiosis lectoribus trademus eosque per recensiones criticas certiores facere conabimur de libris atque opusculis recentissimis, quae res nostras pervulgabunt. Juvabit etiam auctorum temporis renatus quaslibet epistulas tradere degustandas, et poëtarum nostri aevi carmina.

Hoc modo sicut superiore curriculo socios nostros mira varietate delectavimus, eorum in litteras Latinas igniculos amoris accensos retinebimus; neque id solum, sed eos potius, si fieri poterit, et accrescemos.

Novarum rerum apud Hispanos igitur turba non est conturbata PALAESTRA LATINA, quae harenarum pulvere adsuevit superare tempestatis aestus. Palaestritae agilitate non mentita ludos suos multiplicare pergent, quibus validiores in litteras spectantibus ingerant animos. Id dum fiet benvolentiam lectorum petimus atque habebimus.

Em. JOVÉ, C. M. E.  
Palaestrae Latinae Moderator

## Commercium Epistulare

*Raphael Santarelli Civis Romanus Moderatori Commentarii cui  
nomen «Palaestra Latina» Salutem dicit.*

Accepi animo pertibenti Commentarii exemplar, quod auctore, ut opinor  
Domitio Ramos de Frechilla, amico nostro optimo, mihi remittere voluisti; ideoque,  
grates tibi debitas persolvens, et Tibi gratulor et mihi gaudeo cum animadvertere  
queam quantum operis ad Latini nominis incrementum per Te conferatur.

Laudabile enim opus origines prisci sermonis repetere—quae nobis vobisque  
communes adsunt—in quibus Antiquitatis laudem diligenter inquirendo, liceat ab  
ipsis depromere quantum recenti sermoni videatur fructuosius; at opus longe laudabilius  
si priscum sermonem ad recentioris vitae usus aptemus, eodemque utamur  
ad colloquendum Gentibus universis.

Quod cum non modo nobis, sed Vobis etiam in votis esse comperiam, ad Te  
mittendum censui librum Fabularum, quas, Aesopi modum et numeros imitatus,  
Laurentius Roccii S. J., Latinorum hujus aevi scriptorum clarissimus, quo jam ipse  
magistro usus sum, nuper conscripsit in quibus, praeter animalia, ut apud Aesopum,  
et machinas et inventa novissima reperies loquentia. Quarum si Fabulas  
nonnullas in tuo Commentario edendas curaveris, rem facies mihi peroptabilem et  
lectoribus jucundam.

Eaque spe fretus ut commentarii exemplaria quae jam in lucem advenere, nec  
non illa quae sunt adfutura, mihi remittenda non renuas, fausta Tibi quaeque ac  
felicia adprecatus, Te amantissime salvere jubeo.

Dabam Romae, Nonis Junii, Anno Domini MCMXXXI, a renov. Fascibus IX.

*Post Scriptum:* Novissimum hac die Commentarii exemplar accepi, in quo  
litteras voluisti editas, quas ad Romanam Civitatem Italo Balbo descernendam ipse  
conscripteram: quapropter par est per me Tibi etiam atque etiam agere gratias.

*Emmanuel Jové Raphaeli Santarelli Civi Romano, S. P.D.*

Optatis tuis libertissime obsecundantes et ceteros PALAESTRAE LATINAE nu-  
meros misimus et eos qui ex priore CANDIDATI LATINI commentario sunt reliqui.

De fabularum dono, quod nuper ad nos misisti, multum te amamus. Certo  
quidem hoc vertente curriculo iisdem utemur in PALAESTRA LATINA. Quanto item  
nos honore adficias si lucubratione qualibet tua pagellas commentarii nostri semel  
atque iterum honestaveris. Calamis opus est eruditis ad adolescentes magis magis-  
que excitando.

In rubrica «Epistulare Commercium» tuas proximas litteras, te haud repug-  
nante, inserere constitui jam inde a primo octobris mensis fasciculo. Interim plura  
spectamus. Vale et salve!

*Raphael Santarelli Civ. Rom. Emmanuel Jové Viro Clariss.  
Salutem Dicit.*

Quod optatissima advenerint exemplaria CANDIDATI LATINI et PALAESTRAE LA-  
TINAE quae ad me tam comiter renittere voluisti, maximas Tibi referto grates; neque  
recusans quominus superiores litterae meae in commentario edantur, polliceor liben-  
tissime me eidem Commentario scripturum deinceps.

Datum Romae XII Kal. Iui. A. D. MCMXXXI, a renov. Fasc. IX.

## In diem Vergilii Natalem<sup>(1)</sup>

Salve, festa dies, totum recinenda per orbem  
 Gaudeat et mundus Vergiliumque canat!  
 Aér, aqua et tellus repeatant ac nubila: salve!  
 Salvel iterum laetae nunc modulentur aves.  
 Si docti semper celebrantur honoribus altis,  
 Vergilii nobis est celebranda dies,  
 Qui Musas cantu, Phoebum qui aequavit honore,  
 Cujus Apollineum carmen ab ore sonat.  
 Ex ore emanant, ceu dulci murmure rivus,  
 Carmina mortali non respetanda viro,  
 Sublimes versus mira dulcedine pleni,  
 Pascunt qui mentes hasque animosque juvant.  
 Ut rex incedit medio exornatus Olympo,  
 Et quidquid labris defluit hymnus erat.  
 Ecce velut rivus magnis uberrimus undis,  
 Ingenii mixto nectare fundit aquas.  
 Haud secus ac variis decorantur floribus agri  
 Libri ita Vergilii floribus atque rosis.  
 O decus Italiae, lux o clarissima vatum,  
 Mantua quo gaudet civi superba suo.  
 O tua perpetuo gaudebunt carmina vere!  
 His neque quod praestet Graecia numen habet.  
 Haec sunt digna quidem praeclaris facta tropaeis,  
 Fronti proinde tuae nectere serta juvat.  
 Si canimus vatem, laudes sint principe dignae,  
 Si legitis flores, reddite Vergilio.

M. López de Zubiria, C. M. F.

## “Hortensius” Ciceronis et S. Augustinus

Non semel, candide lector, audieris S. Augustini conversionem ad Deum a lectione Hortensii Ciceronis exordium habuisse (2). Annum aetatis undevicesimum attigerat Augustinus cum juxta receptum discendi ordinem in Ciceronis librum pervenit qui Hortensii nomine inscriptus *exhortationem ad philosophiam* continebat (3). Etsi vero in eo libro summa eloquentia erat cum eruditione conjuncta, non idcirco Augustinus legebat ut verborum lenocinia aucuparetur, sed neglecto sermonis ornatu, in doctrinam atque sententias animum intendebat. *Non ergo, ait, ad acuendam linguam referabam illum, neque mihi locutionem sed quod loquebatur persuasserat.* Ejus igitur libri lectione tanto sapientiae desiderio flagrare coepit ut res omnes terrenas abjiceret. Hoc uno illius flamine defervescebat quod

(1) Idibus Octobribus clauditur bis millesimus annus Vergilianus –(2) S. August. Confess. I III, c 4 in integrum. –(3) Id c. 4 n. 7.; Cfr. Bardenhewer, *Manuale di Patrologia*, pag. 301, ed. Romae, 1908.

Christi nomen in **Hortensio** non exstaret; quoniam hoc nomen secundum misericordiam tuam, hoc nomen Salvatoris mei, Filii tui in ipso adhuc lacte matris tenerum cor meum praebiberat, et quicquid sine hoc nomine fuisset, quamvis litteratum et eruditum, non me totum rapiebat.

Tunc philosophiae amore succensus, quo impensis veri investigationi operam daret, carnalibus inlecebris quibus irretitus erat valedicere cupiens, ad Deum supplex accessit et continentiam exoravit: *Et ego adulescens miser, valde miser, in exordio ipsius adulescentiae etiam petieram a te castitatem et dixeram: da mihi castitatem et continentiam, sed noli modo. Timebam enim ne me cito exaudires et cito sanares a morbo concupiscentiae quam malebam expleri quam extingui* (1).

Prima Hortensi lectio animum Augustini adeo irritavit, ut ejusdem S. Doctor in scriptis saepe numero remniscatur. Ita in opere *De Vita Beata: Ego ab usque undevigesimo anno aetatis meae, postquam in schola rhetoris librum illum Ciceronis qui Hortensius vocatur accepi; tanto ardore philosophiae succensus sum ut statim ad eam me conferre meditarer* (2). Et in confessionibus. *Multi anni mei cum mecum effluxerant, forte duodecim anni ex quo lecto Ciceronis Hortensio excitatus eram studio sapientiae* (3).

At quaesieris: quodnam Ciceronis opus Hortensi nomine insignitur? Nullibi enim istiusmodi libri vestigium reperi. *Dialogus Hortensi sive de Philosophia* unus est ex libris Ciceronis desperditis. Apud scriptores Tullio posteriores magno in honore fuit; eum persaepe adhibent Seneca, (4) Nonnius, Servius, Tacitus (5), Lactantius (6), praesertim vero S. Augustinus (7), cuius aetate in scholis cum magistris tum alumnis maxime inserviebat. Ex 89 quae supersunt fragmentis ab Orellio (8) conlectis, haec de *Hortensi* natura statuenda censemus. Cum dominatu unius Iulii Caesaris omnia tenerentur, neque Tullius vellet eam languere solitudinem quam sibi adferebat necessitas non voluntas, existimavit molestias honestissime deponi posse si se ad philosophiam retulisset cui adulescens multum temporis tribuerat (9). Itaque ad excitanda inter Romanos philosophiae studia hunc dialogum, Attico ut videtur, (10) auctore conscripsit anno U. C. 709. In quo Q. Hortensium celeberrimum illius temporis oratorem, Q. Lutatium Catulum, L. Licinum Lucullum, Q. Lucilium Balbum (eumdem credo quem in libris *De Natura Deorum* Stoicorum partes tueri facit), semetipsum et fortasse alios quosdam disputantes inducit. Hortensius, laudata eloquentia, universam philosophiam impugnare reliqui pro sua quisque parte defendere conantur. Postremus omnium loquitur Cicero: *Beatitudinem, ait, omnes desiderant; beatitudo vero non in divitiis posita est nec in libidine, quae cum antimur perturbant, nullum beatae vitae locum relinquunt. Una philosophia beatitudinis via est, etenim omnes animi commotiones moderatur, pacem animis adfert, rationem ducem ut sequamur, monet.*


Ecce dialogus de quo egregius Episcopus Hiponensis Deum adloquens alebat:

*Ille vero liber mutavit affectum meum, et ad te, Domine, mutavit preces meas, et vota ac desideria mea fecit alia* (11). At vero Ciceronis *Hortensius* nihil nisi viam futuri Episcopi conversioni paraverat. Quod nec Tullius nec Platonicorum doctrinae duodecim annorum spatio adimplere valuerant, Dei gratia temporis puncto felicem ad exitum perduxit: *Non in comedationibus et ebrietatibus (ecce vox gratiae), non in cubilibus et impudicitibus, non in contentione et aemulatione; sed induit Dominum Jesum Christum, et carnis providentiam ne fecerit in concupiscentiis* (12). Nihil ultra opus est: franguntur carnalia vincula, et Augustinus qui aviditate fruendi praesentibus (13) antehac tenebatur, novum tandem hominem indutus, caelestibus capitul desideriis. Igitur insigne Augustini conversionis opus, lectione et incoepum est et consummatum.

H. MARTIJA, C. M.F.

(1) *Confess.* 8, 17. — (2) *De Vita Beata*, c. 1, n. 4. — (3) *Confess.* VIII, 7. — Cf. *Soliloquia* I, 10. — (4) *Seneca*, *Epist.* 27 ad Lucil. — (5) *Tacitus*, *Dial. De orat.* c. 16 & 9. — (6) *Lactantius*, *Instit.* I, III, c. 16; I, 4, c. 2. — (7) *S. August.*, *De Trinitate*, I, XIII, c. 4 et 5; I, XIV, c. 9 et 19; *De Civit. Dei*, I, III, c. 15, etc. — (8) *Orellius*. M. Tullii Ciceronis Opera, Vol. IV, pars II<sup>a</sup> pag. 479. — (9) *Cicero*, *De Officiis*, L, II, 2, 3. — (10) *Cicero*, *Epist. ad Attic.*, IV, 6. — (11) *Confess.* I, I, c. 7. — (12) *Rom.* XIII, 10, 14. Cf. *Confess.* I, VIII, c. 12, n. 2/e-29. — (13) *Id.* I, VI, c. 11, n. 18.

## Schola



Chera Gdo

Mentis atque animi educatio apud populos excultos quasi omnium primum patrimoniorum semper fuit aestimata. Namque homo ita natura scire desiderat quae terra, quae mari, quae accidentunt caelo, ut non aqua, non igni, ut ajunt, locis pluribus quam secundum disciplinam abutamur.

Tabula nobis adjuncta ansam praebet, ut de schola breviter agamus, in qua homo scientiarum fundamenta jacit. Naturam autem scholae Romanorum, hodiernae tanquam basis, enucleandam sumpsimus.

Romanis arma potius quam studia litterarum curae fuerunt, quod facile historia vincit. Hae vero florere desitae sunt nunquam. Educatio usque ad filii sexennium matri in primis vel nutrici incumbebat, quae quidem filiis in patria lingua discenda auxilio erat, ludisque eorum primis invigilabat. Praecipuas tum Aeneae, Ulyssis, Herculis fabellas puerulis narrabat, gestorumque majorum recensione patrium in pectore filiorum amorem infundebat. His fere oblectamentis prima effluebat aetas.

Paedagogo a sexto aetatis anno puer committebatur, qui comes, pedissequus, custos deveniebat et maternum educationis opus prosequebatur. Primum sub paedagogi cura exibat puer per vias et macella, ubi memoriae historiam monumentorum sedulo mandabat.

Festis tum populi adsistebat et publicis expectaculis atque palaestrae initiabatur. Quae domestica curatio paedagogi fuit tanquam scholæ initium, quarum triplex erat gradus: Ludus litterarius, Ludus grammatici, Ludus rhetoris.

Ludo litterario a septimo ad annum duodecimum puer aderat, ubi sub tutella Ludimagistri sese in lectione, scriptura, dictatu exercitabat, primisque arithmeticæ notionibus. Ludum grammatici deinde frequentabant adulescentes, quos quidem Grammaticus seu Litterator erudiebat patriis poëtis. Ejusdem praeterea erat lectiones linguae Graecæ, tanto in pretio apud Romanos, dare et pueros Historia, Geographia, Astronomia, Mithologia instituere. Ludus tandem Rhetoris erat tanquam complementi schola, in qua cives præstantiores operam eloquentiae dabant, ut demum perfecti civiles homines deve- nirent.

Haec breviter descripta Romanorum schola, a nostra, ut vides, quasi a cupresso viburnum distat, quae tamen, volente tempore, harenæ fortasse et granulum in crastinae comparationem erit. Ea in schola primaeva triplicem jam cernes scholæ hodiernæ gradum: Institutio primaria, secundaria vel media, superior, unde scholæ proprie dictæ, gymnasia, académia seu universitates nata sunt. Sed haec hactenus. Nunc tabulam jam intueamur, ubi nonnulla videbis instrumenta in schola communiora. In commodum tironum nomen damus latine et vernacula expressum et finem faciemus nonnullis verbis et phrasibus maxime ab scholasticis usitatis.

I.	1 Vidriera	<i>vitrarium</i>	16 Banco	<i>scamnum</i>
2 Cuadro	<i>tabula</i>	17 Mesa	<i>mensa</i>	
3 Mapa	<i>pinax, acis</i>	18 Libro	<i>liber</i>	
4 Metro	<i>metrum</i>	19 Tintero	<i>atramentarium</i>	
5 Medida	<i>mensura</i>	20 Travesaño	<i>transtrum</i>	
6 Pesa	<i>libra</i>	21 Pie	<i>fulcrum</i>	
7 Reloj	<i>horologium</i>	22 Estufa	<i>laconicum</i>	
8 Péndulo	<i>pendulum</i>	23 Tubo	<i>tubus</i>	
9 Manija	<i>manubrium</i>	24 Pizarra	<i>abacus</i>	
10 Esfera armilar	<i>sphaera armillata</i>	25 Atril	<i>pluteus</i>	
11 Figuras geométricas	<i>figuræ geometricæ</i>	26 Música	<i>musica</i>	
12 Percha	<i>pertica</i>	27 Busto	<i>vultus</i>	
13 Puerta	<i>porta</i>	28 Estantería	<i>plutearium</i>	
14 Vitrina	<i>armarium</i>	29 Vade	<i>capsa</i>	
15 Cartera	<i>chartarium</i>	30 Cerraja	<i>sera</i>	
II.	Aprender	<i>discere</i>	Contar	<i>numerare</i>
Atender	<i>intendere</i>	Copiar	<i>exscribere</i>	
Borrar	<i>delere</i>	Corregir	<i>emendare</i>	
Conjugar	<i>conjugare</i>	Declamar	<i>declamare</i>	

Declinar	<i>declinare</i>	Multiplicar	<i>multiplicare</i>
Dibujar	<i>delineare</i>	Olividar	<i>oblivisci</i>
Dictar	<i>dictare</i>	Pintar	<i>pingere</i>
Dividir	<i>dividere</i>	Preguntar	<i>interrogare</i>
Educar	<i>educare</i>	Pronunciar	<i>pronuntiare</i>
Enseñar	<i>docere</i>	Repasar	<i>recolere</i>
Escribir	<i>scribere</i>	Repetir	<i>repetere</i>
Estudiar	<i>studere</i>	Restar	<i>subducere</i>
Examinar	<i>examinare</i>	Sumar	<i>summare</i>
Instruir	<i>erudire</i>	Tachar	<i>liturare</i>
Leer	<i>legere</i>	Traducir	<i>transferre</i>

**III.** Puer. — Hora est scholam adeundi.  
Cedo mihi, matertera, libros et libellum (*cartapacio*).

**MAT.** — Habes illos in capsula inclusos.  
Scholam statim repepe, quin sistas  
in macello.

**PUER.** — Salve, mi praeceptor, in scholam  
rursus instituendus veni.

**PRAECEPTOR.** — Salve et tu, alumne disciplinae meae. Pluteum (*pupitre*) tuum  
pete et operam da lectioni.

**P.** — Lectio perlonga est, nec memoria tenere queo.

**PR.** — Amplius solito concede temporis.  
Ex memoria intra dodrantem (*tres cuartos*) expones; postea compositioni incumbes.

**P.** — Difficilis admodum haec lectio.

**PR.** — Claude jam librum et recita lectionem. Pronuntia distinete et voce elata.

**P.** — Me miserum, lectionem nunc dedidici! Non memini nisi prioris partis.

**PR.** — Duas praetermisisti lineas. Ordine lectionem, neque cursim repepe. Alias accuratius eam disces.

**PR.** — Pensumne jam mandasti scripto?  
Cedo mihi compositionum codicem.

**P.** — Ciceronis in vernaculam fragmentum transtuli; Vergilii autem nondum.

**PR.** — Idem semper es. Quid vero tot litoris est plagula referta?

**P.** — Temporis prohibuerunt angustiae ne scriberem in adversariis (*borrador*).

**PR.** — In compositionum codice nunquam deletili (*goma*) utare et litteras in posterum fac clariores.

**P.** — Calamus fere attritus est.

**PR.** — Hanc male interpretatus es sententiam. Verbum mixtum insolens est; hoc autem in duas accipi sententias potest.

**P.** — Haud scio ut declinetur vocabulum *jecur*, et conjugationem verbi ajo audivi nunquam.

**PR.** — Haec igitur in crastinum disces. Sis nunc arrectis auribus; tenes quid dicam?

**P.** — Etiam.

**PR.** — In abaco exscribam compositionem crastinam.

**P.** — Praesto sum illam graphio (*lápiz*) notare in pugillaribus.

**PR.** — Vade jam in pace. Memoria minitur nisi eam exerceas, et recordare doctum fieri neminem quin maxime laboret. Vale.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.



## Juppiter Otricoli

Hoc nomine venit celeberrima effigies quae deorum exhibit patrem. Romana imitatio videtur exemplaris Graeci. Caput profecto nobilis simulacri Jovis Olimpici ex Phidia, cuius majestas atque serenissimus adspectus adeo tota antiquitate celebrabatur, ut infelicissimi omnium existimarentur qui vita decedentes minime id operis contemplati essent. Tantam enim hic vultus habet majestatem atque pulcritudinem ut una cum Junone Ludovisi, deorum immortalium perfectissimi prototypi reputentur. Nulla in facie adparet inmutatio effrenata, frons circunspicitur pace atque tranquillitate diis maxime consentaneis.

Absque dubio Juppiter Otricoli longe differt a Jove Graecorum poëtarum in poëmatis atque mytologiis descriptis, tanquam immortali pessimarum cupiditatum victima, minusculo deo, qui vitam degit convivia inter et bacchanalia.

Verum Juppiter Otricoli speciem exprimit divinam juxta mentis naturalis vires: deum scilicet inmutabilem, tranquillum, justum pariterque mitem quem tradit philosophia. Is verissime est Juppiter procellosus qui coacerbat nubes, qui fulminibus eradicat robora dum per aërem spargit sulphureum odorem, omnes-



que contremiscunt qui promissis non stant: qui vota abrogare protest levissimo capit is sacri motu, qui totum tremere facit caeruleum Olympum supercilii simplici nutu; idem tandem dominus, idem caelestium et terrestrium supremus dominator. Revera non sine aliqua veritatis specie antiqui vel in caelum Phidiadim ascendisse vel Jovem in terram descendisse judicarunt. Oratorum RR. princeps his verbis artificem celebravit: «nec vero ille, cum faceret Jovis formam contemplabatur aliquem,

e quo similitudinem duceret, sed ipsius in mente insidebat species pulcritudinis eximia quaedam, quam intuens in eaque defixus ad illius similitudinem artem et manum dirigebat» (Orat. 2, 2).

Merito Goethe, quem solum mentis humanae lumen inlustrabat, adferenda sibi Roma curabat exemplaria Jovis Otricoli atque Junonis Ludovisi quorum contemplatione tristitiam senectutis leniret.

Quos fides illuminat, in Sacris Litteris habemus Dei perfectissimam imaginem expressam: illae nobis monstrant praeter quam Deum dominatorem ac gubernatorem orbis terrae, Patrem amantisimum, auctorem omniumque gratiarum munificum datorem. Haec vero rationi naturali sunt in pervia.

PHIDIACUS

## Institutio primaria

### PETRUS et ANTONIUS

- P.—*Quid vero istuc rei est, Antoni, quod in scholam tamdiu non venisti? Adeone sapiens, ut apprime ea noveris, quae magister edocet?*
- A.—*Pater usque praedicit scientia saginari neminem, domi autem nulla nos scientia indigere, sed pessetis potius.*
- P.—*Atqui eo te vult pater a studio vacare, quod scientia neminem saginet?*
- A.—*Ideo nempe. Numquid caussae adhuc requiras amplius?*
- P.—*Hem, quid ego audio...? At istuc serva, amice: homines sapientes multo vivere liberalius, quam ignorantes educatione expertes.*
- A.—*Ego autem dubito magno opere tanta commoda atque emolumenta esse scientiam colentibus; patri enim meo, vel litteras nescienti, id defuit nunquam, ex quo laute viveret.*
- P.—*Aufer jam nugas, amice, et fac mihi adferas vel unum imperitum hominem, qui magni aliquid in humani generis commodum efficerit.*
- A.—*Nihil istarum novi euidem rerum!*
- P.—*Cedo mihi, sciole, num horum inlitteratorum quispiam invenerit machinam vaporis, electridem, telegraphum, telephonum, aeroplanum, automobilem?*
- A.—*!...*
- P.—*Quis, inquam, nisi homo sapiens fecit procedere mechanicam, astronomiam, opticam, medicinam, aeconomiam...?*
- A.—*Ego sermones istos non capio; id quidem verborum in vita audivi nunquam.*
- P.—*Ideo nimirum ea non audisti, quod in una schola discuntur.*
- A.—*Illa tamen ad nullam utilitatem vitae conducunt.*
- P.—*Hujus modi non est ipse judex... Apagē sis, nunc videamus: pater tuus est caementarius atque dies in exstrunctione domorum exigit, nonne?*

### PEDRO y ANTONIO

- P.—*¿Qué es eso, Antonio, que hace tanto que no vienes a la escuela? ¿Tan sabio eres que sabes a perfección lo que nos enseña el señor maestro?*
- A.—*Mi padre siempre me está diciendo que la ciencia no engorda a nadie y que en casa no necesitamos ciencia, sino pesetas.*
- P.—*Y porque la ciencia no engorda ¿no quiere tu padre que vayas a la escuela?*
- A.—*Por eso mismo. ¿Aunquieres mayor razón?*
- P.—*Tate, y ¿qué oigo...? Pues ten entendido, amigo, que los sabios viven más honradamente que los ignorantes y faltos de educación.*
- A.—*Lo que es, yo dudo mucho que sean tantas las utilidades y provechos de la ciencia; a mi padre, que no sabe ni la a, nunca le ha faltado qué comer.*
- P.—*Déjate de tonterías, amigo, y a ver si me citas un solo ignorante que haya hecho algo importante en el mundo.*
- A.—*¡Qué me sé yo de esas cosas!*
- P.—*Pues dime, ¿ha inventado por ventura algún ignorante la máquina de vapor, la electricidad, el telégrafo, el teléfono, el aeroplano, el automóvil?*
- A.—*!...*
- P.—*¿Quién sino el estudioso ha hecho progresar la mecánica, la astronomía, la óptica, la medicina, la economía...?*
- A.—*Yo no entiendo tales cuentos; en mi vida oí tales cosas.*
- P.—*Y no las has oído porque sólo se aprenden en la escuela.*
- A.—*Pero todo esto no tiene ninguna utilidad práctica.*
- P.—*No eres tú quien has de juzgarlo. Vamos a ver: tu padre es albañil y pasa los días construyendo casas, ¿no es verdad?*

- A. — *Verum prorsus; et commodum hos ipsos dies lapides expolit monumento, quod in suburbis exstruitur, imponendos.*
- P. — *Quid vero nunc prodesset opera patris nisi architectus primum finxisset operis formam, atque omni studio et aedificii dimensiones et naturam elementorum subputasset?*
- A. — *Illos ipse interroga, qui ista profitentur.*
- P. — *Scito ergo hanc exstruendarum domorum scientiam plures scholae annos expostulasse, nec nisi ea lege datur tot tantaque monumenta conspicere.*
- A. — *Ego autem non ero ex hisce, quos dicas, hominibus.*
- P. — *Sit ita sane. Ast non in societate vis cum hominibus conversari?*
- A. — *Quid dubitas?*
- P. — *Atqui beate si cupis rivere in societate, legere et scribere minimum scire debes, atque insuper praecipua scientiae rudimenta.*
- A. — *At rursum dico tibi posse quemquam vivere suavius commodeque valere sine eo scholarum labore.*
- P. — *Quas vero nunc vides colubras? Sus (sit venia verbo) etiam saginatur, teque multo amplius, neque tamen in scholam venit...*
- A. — *Tu me laedis; si modo id repetas...*
- P. — *Ignosce autem, amice; remissum in re animum tuum videns, in caput totus confluxit sanguis.*
- A. — *His igitur calcem impingamus. Ego lusum cum amicis ibam, et hisce me detinisti geris; in scholam non veniam amplius, nam nisi stultus eo petit nemo. (Discedit)*
- P. — *(Secum cogitans). En fructus nullius educationis patrum atque institutionis; et filiorum ignorantia et odium studii. Utinam tales patres talesque filii adeo non grassarentur!*
- A. — **Verdaderísimo.** Precisamente estos días está picando unas piedras para el monumento que se está construyendo en los arrabales.
- P. — **Y ¿de que aprovecharía el trabajo de tu padre, si el arquitecto no hubiera trazado primero el diseño de la obra y hubiera calculado cuidadosamente las dimensiones del edificio y la naturaleza de sus elementos?**
- A. — **Pregúntalo a los que tratan de estas cosas.**
- P. — **Pues ten entendido que el arte de la construcción ha costado muchos años de escuela y que no contemplaríamos tantos y tan bellos monumentos sino a este precio.**
- A. — **Pero yo no quiero ser de estos hombres que tú dices.**
- P. — **Sea ello así. Pero ¿no es verdad que quieres vivir en sociedad con los demás hombres?**
- A. — **Y ¿a qué dudarlo?**
- P. — **Pues si quieres vivir felizmente en sociedad, por lo menos debes saber leer y escribir y además conocer los rudimentos de la ciencia.**
- A. — **Pues te repito que uno puede vivir bien y gozar de buena salud sin tales quebraderos de cabeza.**
- P. — **Pero, ¿estás en tus cabales? El cerdo (perdona la expresión) también engorda y mucho más que tú, y tampoco va a la escuela...**
- A. — **Tú me estás injuriando; si vuelves a repetirlo...**
- P. — **Perdóname, amigo; pues viendo tu indiferencia se me ha subido la sangre a la cabeza.**
- A. — **Déjate ya de estos cuentos. Yo iba a jugar con mis amigos y me has detenido con estas fruslerías; yo no voy más a la escuela, pues no van a ella sino los tontos. (Se va).**
- P. — **(Reflexionando). Este es el fruto de la falta de educación e instrucción paterna: la ignorancia de los hijos y el odio al estudio. ¡Ojalá no abundasen tanto esos padres ni esos hijos!**
- P. PHILOPONUS.**

## “Primus” et derivata

Magna Latini sermonis ubertas non modo exstat in verborum copia sed etiam in vocabulorum flexibilitate, qua fit ut eadem vox aliter atque aliter desinens, aut, quopiam ei addito demp̄sove, in varias sententias veniat significandas. Jam nunc exemplum unum expromam: totam hujus adjectivi *primus*, *a.*, *um*, variationum seriem hinc inde classicorum ac grammaticorum contexere intendo.

—*Primus*, *a*, *um*: ab antiquo *pris* productum (1), quamvis aliud ex usu vernaculo adpareat, est superlativus gradus. Id igitur teneto, ne *primus* usurpare audeas, cum de duobus ages; perperam ergo dixeris: Paulus et Andreas, quorum *primus*; recte autem: quorum *prior* (2).

Superlativorum ritu *primus* his modis usu venit: *Primus quisque, facile primus: primus omnium....* quorum circumlocutionum potestas sponte jacet. —Item *primo quoque die* (el primer día que se pueda). Hujusmodi superlativus gaudet his praepositionibus *a*, *ab*, *ex*, *de*, *inter*. Ita ergo: *primus ab omnibus vel inter omnes*, cet. In oratione vincta non semel scriptum invenies *primus «ante omnes» quo*, ut patet, major textui *vis* accedit.

—*Primo*: (primeramente, al principio): Themistocles primo solus profectus est (Nep.) (3)

—*Primum* (*primulum dimin.*): (primeramente, por primera vez). Bis consul factus est, *primum ante....* (Cic.)

—*Primitus*: (primeramente). Protulit et pretio ingenti dat *primitus paucos* (Non.) (4)

—*Quam primum*: lectionem quam primum disces: (apréndete cuanto antes la lección.)

—*Primum dum*: *primum dum opus est vivere*. Idem significat ac *primum*, sed hoc addito sensu: caput est ut vivamus, quo non posito vel dum hoc non facis nihil aliud facere potes.

—*Adprime*: vix adjungitur nisi solis nominibus adjectivis: *vir adprime doctus* (extraordinariamente, muy ilustrado) (5).

—*In primis* (vel *imprimis* aut etiam *inprimis*): primeramente, (en primer término.) Hoc in *primis* cavendum est. —Eleganter etiam adjectivis conjungitur, veluti: Homo in *primis improbissimus* (Cic.) et vernacule aequipollit: como el que más, de los que más.

—*In primo*: facile suppletur loco. Equites in primo ire jubet (Sen.)

—*Ut primum*. Ut *primum lux orta est* (Verg.) (Luego que amaneció, enseguida de salir el sol.) —Valet quoque: por la primera vez, nunca más después. la primera y última vez: sic in exemplo: *Ut primum illam vidi* (Plaut.)

—*Ubi primum*. Itidem prorsus sonat ac *ut primum in priore acceptance*.

—*A primo*. Hujuscemodi circuitionis potestas est: *ab initio*. Ita hoc exemplum: A primo cogitavit (Cic.)

—*Cum primis* (et *cum primis*). —*Praeprimis* (et *prae primis*). Hisce eadem sententia subjicienda est quam vocabulo *in primis* posita. Ita ergo castigate dixeris: Hoc

(1) Agrætius, apud Bercault traité des Sinon § 222. —(2) Si secundus designandus sit, dixeris: *quorum alter, vel quorum aliis*. Si tres intersint personae jam non dictur *alter* sed *alius* (Cf. Donat, ed. Keil Pag. 374). —(3) Non licet promiscue *primum* vel *primo* usurpare; alias hac super re, Deo opit., sermonem faciemus (Cf. Llobera § 394). —(4) Ne mireris hujus hexametri apparentem incursum circa illud *primitus paucos*, apud suuctores enim non classicæ Latinitatis *-us*-velut liquescente-s-plerumque habebatur; atque hac de causa hic corripitur. —(5) Cf. P. Granero in sua *Stilistica* hoc adverbium jure merito inter archaismos recenset, adhibuit *ad significandum principalmente*. (Pars I Arch. pag. 10)

praeprimis vel cumprimis cavendum est. Homo praeprimis vel cumprimis improbissimus.

— *Primum quia vel quod.* — *Jam primum.* Hic duplex loquendi genus apud clas-  
sicos invenitur incipiendo alicujus argumentationis seriem; sibi volunt: en primer  
lugar porque... Pues bien, lo primero....

— *Nunc primum:* Nunc primum fac isthaec ut lavet. Haec illi plus minus est vis:  
desde luego, de momento, por de pronto.

— *Primum omnium.* Circumlocutio quae maximo in usu est. Patet quaenam  
illi subjicienda sententia sit: ante todo.

— *Primas* (praeter primas, atis: primado, principal) plures obversabitur tibi hoc  
adjectivum nulli expresse adjunctum substantivo tuncque universim supple «partes». Primas deferre, habere, concedere (1).

— *Primoris.* Genitivus cuius nominativus *primor* non reperitur: plur. *primores*,  
rum. Primores dicuntur summae quaeque et extremae res. Hujusmodi adjectivum a  
primior fortasse dicit originem. Illud praetermissum nolo cum in pluribus idiotismis  
latine vertendis opportune accidat. En exempli caussa: *Pelar en la vanguardia:* di-  
micare inter primores. *La aristocracia de la ciudad:* civitatis primores. *La flor y nata*  
*de la juventud:* primores juvenum vel primores juvenes. *En los puntos de la pluma:*  
primore calamo. *Tengo el nombre en la punta de la lengua:* versatur mihi nomen in  
primoribus labris. Insuper adhibetur non raro: *Primoribus labris litteras gustare* (2),  
id est, quasi per transennam, quasi per nebulam praeteriens: cursim, oscitantem,  
perfuctorie,

— Saepe saepius *primus* substantivis tempus significantibus sese comitem  
praebet. Videlicet *primo* (*prima*) *die, luna, nocte, aurora, luce, vespero, diluculo, sole,*  
cet. Tunc cauto est opus ne verbum verbo hoc modo perperam vertas: *el primer dia;*  
*la primera noche*, cet. Dicito autem: *al principio del dia:* *al comenzar la noche;* istae  
enim locutiones exaequantur: *in primo diei;* *in primo noctis*, cet.

L. FANLO, C. M. F.

## Inter Scholares

— Quomodo desinunt vocativi?

— Ut nominativi, tam in substantivis, quam in adjectivis.

— Semper?

— Fere semper.

— Quinam aliter?

— In prima declinatione nomina in *as* desinunt in *ā* longum; dices igitur; *o*  
*Thoma quid fecisti?*

— Benigne; ecquid amplius?

— In secunda declinatione, id quod non ignoras, nomina in *us* desinunt in  
*ē* breve.

— Id quidem facile est, neque memoria excidet. Estne aliquid notandum sub-  
tilius in hac declinatione?

— Admodum: nomina propria in *ius* et *filius* et adjectivum *meus* desinunt in *ī*  
longum. Sic dicit mater filio suo Vincentio: *Vincenti, fili mi, ubinam eras?*

— Teneo neque has regulas obliviscar. Vale.

(1) Ita dicitur secundas, extremas, supremas habere. — (2) *Primoris* caret positione neutrius generis pro-  
pria; ut ex aliatis his exemplis patet, usitatur et adjective et absolute substantivorum more.

## EXERCITATIONES SCHOLARES

Descendite in PALAESTRAM, pueri, hasque exercitationes ad Latinam vel ad vernacula lingua vertite.

Interpretationes et explanationes intra septuaginta dies huc pervenire oportebit, quarum pulciores in PALAESTRA LATINA certo tempore proibuntur.

Sociorum nomina, qui aenigmatum interpretationem ad commentarii Moderatorem intra septuaginta dies miserint, lectoribus nota faciemus.

### **Autocinetum et Currus nobilis cum Jugalibus.**

Contra autocinetum (1) dixit currus nobilis,  
Suis cum equis consistens prope claram domum:  
Homerus ille scriptoresque plurimi  
Post illum insignes, nostrates atque exteri,  
Mihi dedere laudes: praesto (2) centiens  
Tibi vix natus nudius quartus (3). Carens  
Videris capite, non equis jugalibus  
At dira interius pulsum rabie daemonum.  
Effreno cursu mortem saepe comparas (4),  
Cum quisquam incautus non decedit de via:  
Convicio ac probris passim offenderis (5) insolens:  
Odore taetru putes, atque pulverem  
Oculis perniciem naribusque concitas.  
Respondet autocinetum: quidquid volueris  
Injuriarum conferre mihi, denique  
Ratum hoc restabit certumque usu gentium;  
Te numero ut superem (6) et par teneat honoribus.

Et (7) rebus summe claris veteri nomine (8)  
Utilitas praestat saepe et usus omnium.

L. Rocci, S. J.

### **A E N I G M A T A**

1. Totum sume, canit; truncato vertice, pollet  
Caudam deme, orbat: viscera tolle, parat.
2. Addito, res minor est; demito major erit.

### **P. Syri explanandae sententiae.**

1. Ab alio expectes, alteri quod feceris.
2. Ab amante lacrimis redimas iracundiam.
5. Ad paenitendum properat, cito qui judicat.

(1) Automóvil. — (2) Aventajar. — (3) Apenas hace tres días. — (4) Acarrear la muerte. — (5) Se te cubre de insultos y denuestos. — (6) ut te superem numero. — (7) Y aun. — (8) Fama.

**La muerte de Cicerón.** A la llegada (1) de los triunviros alejóse (2) Cicerón de la ciudad de Roma. Huyó primero a Túsculo; luego por caminos extraviados (3), marchó a Formias con ánimo (4) de embarcarse (5) en Gaeta (6). Despues de haber intentado varias veces hacerse a la vela (7), como se levantaran vientos contrarios, y no se (8) viera él con valor para soportar la marea (9), le sobrecogió un gran disgusto y no quiso ni huir ni mirar por su vida (10). Volviéndose, pues, a su granja que distaba poco más de mil pasos del mar, exclamó: «Moriré en mi patria por mí muchas veces salvada».

Es sabido que sus siervos estaban resueltos a pelear con valor y lealtad (11) y que Cicerón les mandó dejar en tierra (su) litera y estar a lo que (12) la mala suerte deparase. Levantando luego Cicerón la cabeza ofreció su cuello a los verdugos, los cuales se lo cortaron despiadadamente (13). No satisfecha (14) con esto la残酷 estúpida de los soldados, pretextando (15) éstos que había escrito contra Antonio, cortáronle también las manos. Despues llevaron (16) a Antonio la cabeza de su enemigo y por mandato de éste fué colocada en la tribuna popular (17) en medio de las dos manos.

## P e r o r b e m

**Certamina poëtica.** Exitum novimus certaminis poëtici Hoeufftiani a. MCMXXXI.

Nummum aureum quadringentorum florenorum reportavit nemo; tamen e carminibus uno et triginta acceptis, tria selecta; legati sumptibus, in volumen recipientur. Ad novum certamen cives et peregrini invitantur qui ante Kal. Jan. in Academiam Nederlandicam carmina nondum edita mittere velint.

—In certamine poëtico Latino Locris in Brutiis constituto duo et triginta carmina missa reperimus; quae inter carmen «De Vergili nativitate» Vincentii Polidori longe praestabat, quod judices aureo numismate, mille italicarum libellaru[m] donandum concordes censuerunt. Denuo in certamine cives atque exteri vocantur, quod deinceps mense octobri judicabitur. Carmina a) quinquaginta versibus ne breviora neu CCC longiora, neve prius edita aut ex alio sermone translata, b) trinis exemplaribus dactylographo nitide impressa, sententia munita, obsignata scidula carmini

adjuncta poëtae nomen et domicilium continens pridie Kal. Quint. mittantur hac inscriptione: *Al Direttore dell Collegio «Principe di Piemonte». Gerace Marina. Calabria (Italia).*

—Anno DCCC a Basilica Aquilejensi dicata, X ab ignotis militibus in ara patriae compositis, curatores festis agendis ut uterque dies anniversarius commoremetur, cum clarissimo R. Academiae Italicae moderatore consiliis initis, novum certamen inter Italos indixerunt. V Kal. Nov. conventu Aquilejensi victores consulatabantur, eorumque carmina postea typis edentur.

**Hominum Coetus.** Programma coetum alterum nuntians ad philologicas classicasque disciplinas inter Slavicas gentes promovendas sero accipiebamus: clausum est enim V. Kal. Junias.

Nolumus tamen prorsus illud praetermittere, atque humanissimis lectoribus in clausulas praecipuas degustandum proponimus. Conventus hoc intendit: «1) Lectionibus sermonibusque cum totam

(1) *Sub adventum;* —(2) *cedo, cessi, cesso;* —(3) *transversis itineribus;* —(4) *formiae, arum ut...;* —(5) *narem (navim) descendere;* —(6) *Gaeta, ae;* —(7) *in altum provehi;* —(8) *ipse;* —(9) *navis factatio nem pati;* —(10) *taedium eum et fugae et vitae cepit;* —(11) *fortiter fideliterque;* —(12) *quietos pati;* —(13) *praecido. id, isum;* —(14) *satis esse;* —(15) *exprobrantes;* —(16) *refero;* —(17) *rostrum, i.*

rem tum singula tractantibus conferre aliquid ad cognoscendum, quae sit apud nationes Slavicas humanitatis classicae historia. 2. Varias quaestiones ad philologicam scientiam classicam spectantes disceptare. 3. Quae sint in mediis et superioribus terrarum Slavicarum scholis humaniorum litterarum cultus conditio-nes atque rationes inquirere.

Congressus duas habebit sectiones: unam in qua res ad antiquitatem classi-cam pertinentes tractabuntur, alteram in qua viae et rationes Litteras Graecas et Latinas in scholis docendi disputabun-tur. In utraque sectione et lectionibus et sermonibus locus erit.»

— Septimus scientiarum historicarum internationalis conventus nuntiatus est. Mense Augusto a. MCMXXXIII Varso-viae in Polonia, Deo favente, congregabitur omnium populorum concursu. Ad hoc ut labor sit uberior exitusque per-fector varia peritorum conlegia pro diversis populis constituta sunt.

— A die 8 in 12 Aprilis mensis verten-tis anni Fidentiae in Italia primum de-re coloniali celebratum est conventus sub auspiciis Instituti Colonialis, Lictorii nominis atque Conlegii Scientiarum so-cialium et politicarum «Cesare Alfieri». Ex omnibus conventus sectionibus his-toricam archaeologicam a C. Manfroni profess. ordinata, referre juvat.

### Responsorium

**G. C. Interr.** Hanc mihi velim diffi-cultatem quidquam simile. Initio aut in fine, ut mos est urbanus, notum tibi fa-cere volo meae conmorationis praesen-tis locum, Valentiam nempe urbem. Quo confugiam, inquam, regularum? Exprimam locum *unde illa scribo vel potius locum ubi?* Nam certum est aliud aliter notari debere.

**Resp.** Utrumque est in usu apud vi-tos humanissimos praesertim recentio-res, at propius veteres imitaberis si lo-cum *unde* expresseris. Vide in fidei testimoniū aliqua exempla.

**Apud Ciceronem. Ep. ad Fam.** Va-lete mea desideria, valete. *Thessalonica* (XIV, 2); Mea carissima filiola et spes reliqua, nostra Cicero, valete. *Brundisio* (XIV, 4): Cetera quae sunt ad victimum et ad valetudinem necessaria; vale *De Ve-nusino* (praedio) (XIV, 10); Quantum me diligis tantum fac ut valeas, vel quantum te a me scis diligi, *Alycia* (XVI, 2). Etiam atque etiam vale. *Actio vesperi* (XVI, 6); Tiro noster, vale. *Corcyra* (XVI, 7); Cura ut valeas. *Capua* (XVI, 12); Sed vide etiam: *Tulliolae et Ciceroni salutem dic. Dyrrachit* (XIV, 1).

**Apud Bembum. Epist. Leonis Decimi Pont. Max. nomine scriptae:** Di-gesimus libros et edimus; vale *Patavio*: Illi etiam reipublicae gratum et optatum magnopere confido. *Roma*; Tota autem de re quid egeris, facies me quam dili-gentissime certiorem. *Capranica*; Ea ex meis ad Gorum Gherium Internuntium meum litteris intelliges. *Ex Severiano* (praedio) et ita semper locum *unde* notat.

**Apud J. Lipsium: Epistul. Select. Centuriae:** Nunc salve et Vellejum nos-trum a me accipe quem jam vulgavi. *Francofurti ad Moenum*; Plura non ha-bebo quam hoc iterum inculandum, me ex animo esse et fore tui amantem. *Lovan-ti*; Ut alii non illo me vinces *In Museo Nostro* a meridie scripsi; et ita semper locum *ubi* exprimit.

**Apud Marc. Ant. Muretum; Epist.** Scribito ad me quam saepissime tuo more; vale. *Patavti Gallum hominem vestratem* potius, quam nostratem dixeris; vale. *In Corneliano*. Quod scribam, aliud nihil obcurrat, etiam atque etiam vale, mi Manuti. *Patavio*; Nihil potest contingere optabilius; vale, *Lovanio*; Aliquid se tibi aliquando debere fatean-tur; vale. *Romae*; et sic deinceps varie tum locus *ubi* exprimitur tum locus *unde*.

SENEX.

# B i b l i o g r a p h i a

**Homero.-Obras completas-Luis Segalá y Estalella.** (*Versión directa y literal del griego*) Ed. con ilustraciones arqueológicas; Barcelona, Montane y Simón Edit, calle de Aragón n. 255. (LXI, 585; *Fragmentos CXXXVII*) 1927.

In his pagellis etiam recensebimus hispanicam versionem universorum operum a clarissimo Aloysio Segalá confectam? Illam habemus velut opus monumentarium omni ex parte commendandum. Librum inspeximus, qua decebat observantia ac veneratione, et maxima affecti sumus voluptate.

Haec sane versio caret—atque ex hac parte omni exstat commendatione digna condimento illo Gallico quod sapiunt tot opera apud nostrates. Quinimo defectus facilitatis in sermone quo non semel laborat, nedum eam foedet, pignus est fidelitatis, notae in versionibus omnium desideratissimae quam, optima quidem fortuna, eximius auctor scopum sibi praefixit.

In vertendis vernacule id genus operibus, qui versioni operam dat admodum curare debet ne suas ipsius inpolitas manus injiciat in exemplaria omni reverentia digna; quod monitum, ad unguem ab auctore observatum, in primis urget eos, qui opera venerandae antiquitatis (quanto magis illius, qui non poético modo sed oratoria virtute eminentissimus est—Quint. Inst. Or. X, 1-) vertenda suscipiunt. Id totis viribus contendit interpres, ut inmortalis Homeri mentem patetaceret, uti reapse lucida venustaque ex illius plectro emanaverat; atque hunc ad finem religioni non habet aliquas usurpare voces quae, in vocabulario non inclusae, ad construendam exemplaris mentem magis oportuna sibi visa fuere.

Haecce profecto est ratio cur Homericā translatiō valore historico et critico priores hispanicas longe antecellant. Satis sit eruditis lectoribus novisse hujuscē

operis primam editionem ab inmortali illo viro hispanicæ criticæ clarissimi splendoris Menéndez Pelayo magnis undique laudibus cumulatam esse. Neque nos hic quidquam adseruimus, quod illius verbis confirmare non potuisse-  
mus.

Nobis se praebet ocassio, qua nos gratum animum significatum volumus Dri. Segalá apud quem optimum favorem Palaestra aucupata est.

**Homer.-"Iliada"** (*amb la versió grega i catalana directa i literal del Dr. Lluís Segalà i Estadella*)—Cant primer. Barcelona, Imprenta de la Casa provincial de Caritat, Carrer de Montalegre; 5. 1930. pag. 39.

Opusculum istud, prout in ipso leges, excerptum est ex «Butlletí de la Reial Academia de Bones Lletres de Barcelona, n. 103.» quod ad alterum colendum Academiae centenarum in lucem prodiit. Rhapsodium eamque initialem complectitur quam in Catalaunicam vertit linguam meritissimus auctor. Ille nihil aestimat, apud nos vero magnum pondus habet versio. Cumque optimam sane traductam Iliadam perlegeris, ipsum Homerum audire judicabis. Neque inmerito. Primo quidem quoniam ad litteram traduxit. Deinde atque potissimum, quod arte summa praestantioris poëmatis epicī et ingenuitatem et vim ceterasque dotes vernaculo idiomate expressit. Ut mea fert opinio, rite elegit Dr. Segalá primum cantum; non placent tamen caussae cur illum transtulerit inlustris Doctor, quas adfert Croisset. Haud dubium quin perito admodum auctori rationes altæ fuerint, quas nullo pacto examini subdere licet. Desideratur etiam notatio quantumvis minima Graeci textus fontium, quos nescire criticus potest nemo, ut suas gerere valeat vices. Mirandum demum quidem est crebro



usitatum quod nuncupant digamma (F): auctor enim perficere nolebat critici textus editionem; ceterum priscos inter codices non idem elementi illius est usus. Praecellens autem viri conspicui ingenium fugit neminem. Per totam Iliadae translationem liquida fluit oratio, quod nobis indigitat Drem. Segalá optime versatum Graecis litteris esse. Laus igitur homini optime de litteris merito.

**Hesíodo. "La Teogonia"** (*con la versión griega y castellana directa y literal del Dr. Segalá y Estalella, con dibujos de Juan Flaxman.*) Barcelona. Tip. La Academia. Ronda Universidad, 6. p. 95. 1910.

Eo quod jam dudum id operis typis est mandatum, brevis ero. Laudis honore dignus quidem est Dr. Segalá, qui haud facile sumpsit opus Hesiodum traducturus. Nihil dicto opus sit; quia vero auctor a nobis recensionem expostulat, dicam quid sentiam. Fortasse non esset inutilis introductio ad ostendendam textus Graeci originem. De stilo optime sed aliquando nimis ad verbum. Illud magnopere omnibus litterarum studiosis commendamus.

Xaverius M. SURRIBAS, C. M. F.

**A. C. Juret, "Principes de métrique Grecque et Latine,"** Paris, 1929. (55 pag. in 8,º).

Ex defectu amoris et paene dixerim contemptu quo ars metrica et Latina et Graeca in lyceorum et universitatum scholis adficitur, inde evenit quod alumni non satis de earum natura edoceantur. His igitur qui adprime dignoscere velint in qua tandem versus Latini et Graeci ratio sistat et pulcritudo, ad partem opusculi generalem semel iterumque legendam hortamur. In sectione speciali de elementis quibus versus coalescit breviter et dilucide disserit auctor. Cae-sura non morae vocis sustinet partes, locus tamen est ad minutiora quaedam

metricae aptissimus; ictus non voc effectus, sed gestus recitantis est; et ita de ceteris. Nec deest velut complementum, caput de rythmo in oratione soluta, Ciceronis exemplis et Quintiliani confirmatum. In p. 27 adcuratior adnot. 1.<sup>ae</sup> redactio desideratur: Horatius equidem in Epop. 16 iambicos puros sed non κατὰ στίχον adhibet; ad Vergilium vero quod attinet, admonendum lectorem oportet, non de Georgicorum aut Aeneidos sed de *Catalepti* Vergilio mentionem fieri.

**A. C. Juret. La Phonétique Latine.** (69 pag. in 4,º)

Hoc opusculum nihil aliud est quam alterius voluminis jamdiu editi compendium quod cl. Auctor diurnis investigationibus confecit. Opus ad alumnos phoneticae Latinae studiis initiandos, magistris potius emolumento fore arbitramur. Brevitati consulendi gratia et claritati, D. Juret a quaestionibus polemicas abstinet: de bibliographia nihil curat. Historiam vero fere nunquam exhibet. Laudanda praecipue erudita illa explicatio legis abbreviationis iambicae (p. 12 et 50), influxus consonantium implosivarum in mutationes phoneticas, consonantium denique finalium: (p. 35) quibus nonnulli priscorum poëtarum, Enni et Plauti, versus qui metricae regulis adversari videntur, luculenter interpretantur.

Non ita placet loci Quintiliani versio (p. 46) plerisque extre mas syllabas non per ferentibus (XI, 3, 33); extre mas non de ultimis verbi syllabis, sed de extrema verborum syllaba esse intellegendum opinor, quod quidem Latinae Linguae satius indoli consonare videtur. Pag. 17 difficultis intellectu est paragraphus 3.<sup>a</sup> nisi quis innovationum prius morphologicarum structuram calleat.

H. MARTIJA, C. M. F.

---

**Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.**  
**Moderator**

---

Typegraphia F. Camps Calmet, - Tarregae